

PALATIVM
PRINCIPVM

HONORI, VIRTVTI, PROSAPIÆ,
Illustrissimi, ac Celsissimi Principis
IANVSII ANTONII

KORIBVT

DVCIS IN WISZNIOWIEC
ET ZBARAZ

WISZNIOWIECKI

PALATINIDÆ BELZENSIS,
CAPITANEI OSIECENSIS, &c.

Sub
Auspicatissimum ingressum

In
Capitaneatum Districtus Pincensis,
Inter publicos applausus
à Devotissimo

TANTO NOMINI

Collegio Radiviliano Pincensi Societ: IESV
Erectum

Anno

1718
Cynthla pincensi fcanDit In aXe rhoLos.

VILNÆ Typis Academicis Societatis IESV.

In Gentilitias
 Celsissimi Principis Ceras



Luna præit radijs, comitatur Equesq; canisq;
 Binaq; cum triplici Falx Cruce munit iter.
 Jam securus adi PRINCEPS Augustal Honoris
 Non venient istis obvia fata vijs.

Lietuvos TSR
 Centr. Biblioteka
 Mokslo Akademija

10378

Br. 311153-10

Lituanski
 Biblioteka
 Vilnius

203522

DEDICATIO PANEGRICI

Qcupa Palatium Principum, quod solus implere potes, Princeps Celsissime. Saeculorum id opus est, cui assuetæ sceptris KORIBVTORVM dexterae longis retro etatibus insudârunt, ne infra Tuam erigerent Majestatem. Principum enim est providere Principibus, in quo suam & Majorum gloriam tueantur. Non ita tamen debes Primoribus Tuis augustam Domum, ut nihil Te egisse fatearis; qui quantum Tibi Fortuna in Honore, tantum ~~in~~ Avitis WISZNIO-WIECCIORVM atrijs in meritis splendorum adjecisti. Nolebas utiq; in alieno hospitari, ne injurius fieres gloriæ Tuae, cui dedecus est ultra proprium processisse. Tuum itaq; Augustale est Princeps Celsissime, ad quod per corda Civium deducervis, quae ubi pedibus Tuis calcantur, in rosas Tuae purpureae concolores efflorescunt. Fatigas tamen substrata Tibi pectora, quod lentè gradiaris, ne fugientem Fortunam sequi videârè. Consulis nimirum Majestati Tuae, gravi ad honores incessu, ut non cursu, sed expectatione, praeuntem fatiges dignitatem. Male passibus certatur cum Fortuna, quam nisi praecurrant meritis, raro ad praefixas honorum metas, antagoniste gloriæ eluctantur. Docuisti raro exemplo questum Te à Fortuna, Fortunam inve-

Az

nisse,

nisse, quæ, ut ad Imperatorium Galbæ conclavæ,
ita ad Atrium Honoris Tui excubabat, magnæ Do-
mûs magnum salutatura Inquilinum. Quid jam
restat, Princeps gloriosissime, quo subiectæ Tibi Vr-
bis coronæ felicitatem, quàm ut virtutis, Prosa-
piæ, & Fortune Penates impleas, quos tanto me-
ritorum impendio architectante gloriâ erexisti.
Congessit in hanc Regiam Fortuna, quidquid hu-
cusq; decorum, in Regum Penetralibus habita-
vit, ut compendio Principum, splendorum compen-
dia consecraret. Deposuit effuse in applausus Vr-
bis claves, quibus simul ac Civium pectora reclu-
sisti, januam Tibi ad arcana Honorum adyta rese-
râsti. Age jam, Princeps Celsissime, & magni in
Prædecessore Patris.

Magne Nepos, Patrias felix moderare Curules
Suscipiat Patris exemplum, tribuatq; Nepoti
Filius, & ceptis non desit fascibus hæres.

Ita vovet

Illustrissimæ Celsitudini Vestræ

Addictissimum

Collegium Pincense Societatis IESV.

SCande triumphales **KORIBVTIS**
Cynthia currus!

Te Iolis quadriga vehet, sonipesq; fugaces
Qui Bætis permiscet aquas, & fulgida potat
Stagna Tagi, vivoq; jubar inspergit obrizo.
Scande! Tuis cupiet pax ipsa recumbere plaustris
Ipsa salus, Phætonq; Tuum mirabitur axem.
Sic pernix sublimis adi Penetralia Famæ
Quæis virtus & auitus Honor, Regumq; coronis
Innexus vivo spirat sub murice Sangvis.
At segnes procul ire rotas, procul ire Iugales
Luna jubes, humerisq; vehi per culmina prenas;
Quos aptat subditq; Tuis **POLESSIA** plantis;
Digna coronatam terris sustollere Phæben.
Conscendes hâc arte Polos, soliq; propinquum
Accendes splendore diem, modò lumina spargas
In terras, humerosq; feras **Te Luna ferentes.**

INgredere Ducum Augustalia, Princeps Cel-
sissime, ibiq; prima Dignitatum transcende li-
mina, ubi ultimi Magnorum hæserè passus, qua-
si jam gloriæ metas attigissent; dum in eo gradu
constiterint, à quo Tu viam ad honorum penetra-
lia, auspicas. Decet Te in ipso dignitatum adi-
tu Tuam expendere magnitudinem, & quos tan-
tus Hospes Penates incolas, gloriam consulere,
quæ Te sola capere potest, cum ingens cætero-
quin Fortuna publica, impares Tuæ Majestati
angustias, in Domo sua erubescit. Nimirum ex-
cedis fortis tentoria, qui unico naturæ passu, in
Ducum culmine constitisti, quæ Tibi ad summa
B digni-

dignitatum fastigia suffragium contulerunt. Tegis
hanc tamen Fortunæ nostræ verecundiam Prin-
cipe purpurâ, quæ si nihil magnum, in quo Te re-
cipiat, præter Te, reperit, per Te magnum fa-
cit, quod invenit, qui quò Tecunq̃ue confers,
Fortunæ, Sangvinis, & Honoris circumfers atria,
ne Domesticus Gloriæ esse desinas, etiam ubi
Hospes terrarum ore salutaris. Metuebat parvi-
tati suæ, Nomini Tuo vectigalis Polesia, cum se
imparem suo Principi advertisset, jamq̃; corda in
conclauia transformabat, ut eodem cum anima so-
lio, in vitæ Regia requiesceres, nisi Tu dignam
Principe Domum providisses, quæ Tibi nec in-
fra Tuam dignitatem, nec citra desideria nostra
obtigisset. Reclusisti itaq̃; Honoris Penetralia, ad
quæ Te Civium vota deduxerunt, quæ Princeps,
priusquam summam rerum in Districtu capesse-
res, possedisti. Necdum enim omnibus innotue-
ras, & jam per ora omnium ferebâre, unusq̃; eras
cor omnium, qui Tuum in omnes dividebas. Ex-
pendebantur humeri, librabantur merita, spes
publicæ pensabantur, & dignus censebaris in quem
honor caderet, si major à Te fieri meruisset. Et
hæc Te Princeps Celsissime ambiebat sparta, eti-
am tum, cum in sinu Magni CAROLI versare-
tur, à quo cum virtute & amore in Patriam,
honorem pariter derivabas, ipso in Te ultro be-
neficia transferente, ne merita sine præmijs in vi-
olentum inciderent, suaq̃; virtuti umbra negare-
tur. Deliberabant tamen Superi, quando Te hu-
ic

ic Fortunæ committerent, & tempora observa-
bant, inter quæ inaugurationi dies diceretur, quo
& publicam impleres expectationem, & indolem
ad merita, accessione Dignitatum inflammares.
Stetit tandem Cælorum consilio, ut nonnisi colla-
pso grandium in Litvania Honorum Bajulo IO-
ANNE CAROLO DOLSKI, novus Atlas
Præfecturæ Pincensî humeros commodares, sicq;
de Patris Tui cineribus Phœnix Principū in ho-
noris fastigium evolares. Debebat nimirum Du-
calis Cynthiæ Tux splendor, in illam servari no-
ctem, quæ extincto Patriæ luminari, Civium palpe-
bras, & ipsos lucem orbis honores involuebat, ut
scilicet orbitatem Honorum serenares, dum Tu-
torem pupillæ ageres dignitatis. Hic acrius de
Te certare animi, & ipsæ contendere prærogati-
væ, quibus pulchrum est foveri in murice, sub quo
purpuratæ Virtutes delitescunt. Nihil Nobilita-
ti placebat, præter gratiam, quam Princeps
GRATIANE, ita Nomini inclusisti, ut simul
per orbem spargas, quoties dispensas beneficia,
numero infinita, dignitate maxima, inter quæ, Te
ipsum donas, quoties ad subditorum preces, non
parcus Tui, inclinaris. Ita corda populo eripuisti,
ut caput fieres, quod in Te Capitaneo, dignum
Tiaris Principum, vectigalis Russia veneratur.
Nec talia erant conspirantium in Te pectorum
præfagia, quæ à voto Majestatis Sarmaticæ discre-
parent, quippe

Suffragia vulgi

Claud.

Id Tibi cōtulerant quidquid mox reddidit Aula.
 Accepisti è gremio **IOANNIS III. Regū**
 Potentissimi beneficia, quæ, quia dignissimo de-
 bebantur, **Te Princeps expectabant**, qui **Magnos**
 meritis æquas, **maximos sanguine superâsti.** Et
 hinc est, **Princeps Celsissime**, quòd quidquid ma-
 gnum recondit **Curia**, **Tuum esse cupiat**, ut con-
 cedat **Honoribus incrementa**, qui nisi cadant in
Principem, inter animorum angustias ad pumilio-
 nis staturam contrahuntur. **Tanti Te Majesta-**
 tum favores, **ram anhela Civium pectora**, in atria
 deferunt dignitatum, in quibus viva immortalium
Numinum simulacra, quæ **superstitem Tibi hono-**
 rem transcripserunt, suam in **Te imaginem saluta-**
 bunt; stupebuntq; **magni Manes**, se in **Te revi-**
 viscere, quorum cineres, paribus in **Patriam me-**
 ritis animâsti. **Prodibunt in conspectum Tuum**
Duces in ZBARAZ KORIBVTI, ducentis
 retrò annis **Pinscensis Præfecturæ Arbitri**, quorū
 æviterna monumenta, ad **Te usq; gloria conserva-**
 vit, ut palàm faceret, eam **Tibi Provinciam obti-**
 gisse, quam longè antè, in **Celsissimis Primoribus**
Tuis gubernâsti. **Defigent avidam lucis Tux pu-**
 pillam, **RADIVILIORVM Aquilæ**, à quibus,
 tertius post **ALBERTVM RADIVILVM**,
 dignitatis hæres, **Capitaneatūs clavum accepisti.**
Sufficies magnis Alitibus pro sole Phæben, nisi
Phæbum in Cynthia videre velint, quæ toties di-
 em accendit **Lechiæ**, quoties sudum **Patriæ**, ab
 adver-

adversitatis nubilo, luce consilij, armorumq; fulgore vindicavit.

Proſident ad vultum Principis Clypeati
MEOCCIORVM Leones, ad quorū Illmum
Scutum, Ducalis Cynthiæ reflectes radios, magni
Prædeceſſoris umbras, & atram nigræ **RVSSIÆ**
faciem ſerenaturus.

Progredere à ſcutis Princeps, ſcutatus tamen
Ne cor dolore laniet Sagitta **DOŁSCIANA**
Nova hîc imago, non tamen oculos rapit quàm lacrymas oculorum.

Fatum huic miſcuit colores,
Qui potentias congregent ad lacrymas.
Recede tantisper ab eo Princeps, ad quem moribus accessisti.

Vrbiq; modestiam impera oculorum,
Ne toties tributa lacrymarum perſolvat,
Quoties manes viderit lacrymis redimendos.

MAGNVM tamen **CAROLVM**,
Contractum, in imagine cognoſce.
Prætulit ille dignitatis Tux prodromum ſcipionē,
IOANNES IOANNI præcursor.

Ita gratiæ ſuccedunt gratijs,
Quarum triadem Princeps complex,
Vt tot Poleſſia Charites adoret,
Quot vix fingere potuit antiquitas.
Ceſſit Tibi cum vita Dignitatem,
Ne cum morte dividere cogeretur,
Quæ tum vel maximè Parca eſt,
Cùm ſpolia inter eos partitur, quos ſpoliat.

Fortior fuit morte dilectio,
quæ,
Quod pulcherrimum morti eripuit, in Te vitam
Patriæ transfudit.

Nec oculos solùm hîc, sed & aures erige.
Vocale simulacrum est, inter mortis silentia,
Quod Cynthia **WISZNIOWIECCIANA**,
salutat radio.

Pendent manes oracula, quæ solus implebis.
Talem Te scilicet futurum Principem, qua-
libus successisti: & hæc est, Princeps Gloriosissime,
felicитatis Tux summa, quòd magnorum vestigijs
gradiâre. Ipsa fata consultum volebant gloriæ
Tux, cui tot extinctis luminaribus, ad Honoris fa-
stigium præluxerunt, ne à veræ dignitatis Regia
aberrares. Enim, verò pulchrum est, quos sequa-
ris præmittere, cùm sic faciliùs sparsa per plures
decora, in unum colligantur, novamq; formet me-
ritorum epitomen prognata ab exemplis æmula-
tio. Luctantur enim cum vivorum rectefactis, mor-
tuorum exempla, quæ ubi fatis eripuit immortali-
tas, secum in arenam deducit, indictura certamen
meritis, quæ pro honoribus olim confligebant.
Occurrit jam post tot Heroum imagines Fortu-
na, à Tuis honoribus fortunata, quòd in sinu
Principis congesserit insignia, ut ingentis spei in-
dolem, præmijs alliceret ad virtutem; quæ clariùs
ab honorum umbris illustratur. Quàm sæpe fati-
gant sortem defectus meritorũ, grandescq; præroga-
tivas in notas coniiciunt ignominia! judicium con-
sule

fule sæculorum, quibus probro stetere dignitates,
in vulgus sceptris inhabile erogata; metiri enim
suam nesciunt felicitatem, eximproviso felices,
cùm omnia licere sibi in fortuna arbitrantur.

Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum, *Claud.*
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desævit in omnes,
Vt se posse putent.

Cogitur tamen interdum sceptrum in plebem
proijcere, ut frangat, suumq; dolere infortunium
in felicibus. Stetisset oculatior in conspectu Or-
bis fortuna, nisi vel semel in scopulos impegisset,
quod saxa non providerit in hominibus, ad quæ
toties pupillam honorem allisit. Nemo sortem
Tuam Princeps, ad cæca Numina condemnaverit,
quam ad Gentilitiæ Cynthiæ radios educasti, ut
ad Tuos splendores discerneret, quos securè cer-
nere posset in sublimi.

Si igitur

Aurea Fortunæ reduci monumenta priores
Ob reditum vovère Ducum; non dignius unquam
Hæc Dea pro meritis amplas sibi posceret ædes *Claud.*
Quam sua cùm pariter, Trabeis reparatur, & Urbis
Majestas.

Digna satis Te Hospite felicitas, quæ quanto
sis, circumspexit, priusquam sub tecta Honoris re-
cepisset. Quanquam exue Princeps Hospitem,
Domesticum Te volunt dignitates, ne unquam
desit Numen, quod adorent. Necdum enim ple-
nè lustrasti abdita Tuis encomijs consignata: quid-
quid subiecisti sensibus, infra Te est, quæq; latent

meliora puta. Id in Domo Fortunæ Tuæ par est
prodigio, quod elingua saxa Te loquantur, quasi
solo intuitu de stipite Mercurios efformares. Au-
sculta Princeps oracula; & quæ Te digna repe-
reris, secuturis trans mitte ætatibus, docturus sæcu-
la, qualis fueris, qui posterorum memoriam meru-
isti.

Fortunatus Honoris invehere sacraria
Quidquid in hoc Honoris clivo
Sublime est,

A Te sumet fastigium, vel augebit.

Magna hic præcessere Nomina,

Tu tempore duntaxat minor prendis culmina,
Quæ Tibi Honor erigit, ultra modestiam Tuam,
Infra Magnitudinem.

Caput Olympo inferet Pincum,
Dum se Patriam solis,

Et coronatæ in Avis Regibus, Lunæ Tuæ obstu-
pescet Domum.

Fecerit angustam Nero Urbem, augustas ædes,

In quibus ut homo habitare inciperet.

Districtus Pincensis, in Palatium Honoris Tibi
erigitur,

Cui in vectus, Patriæ vivere incipias,

Verus Patriæ Filius.

Hinc

In Te publicam æstimamus felicitatem,

Nostram veneramur Fortunam,

Dum Tuam.

Quæ quanta foret, agnosci nequiverat,

Nisi

Nisi Pincensis Horizon gloriæ nidus,
Tanti Principis existeret augustale,
Cuius Illustre Sidus, calamitatis dispungeret
umbras.

Ita

Majus à Te in Honorem,
Quàm in Te ab Honore gloriæ redundat incre-
mentum.

Non ultra Tuam Magnitudinem,
Sed supra cæteros emines
Te ipso major,

Si tamen altiora requiris?

Hic Tibi Honorem nacti cogita!

Vbi alijs vix adolevit.

Primus Tibi honos, qui alijs supremus.

Quanto passu Honoris scandas Capitolium,
Vel hinc metiri licet,

Quòd uno Fortunæ saltu fastigia attigeris,

Vix diuturno labore alijs concessa.

His inscribit honoribus Polonia

PLVS ULTRA.

Iam quacumq; gradieris, honoris Palatium est,
Primus Tibi aditus ad metas gloriæ Capitaneatus
Pincensis

Nihil Tibi cum Gygis annulo,

Quo Regiam ille sibi desponsavit Fortunam,

Vbi in plenilunio Luna Tua steterit,

Uotis Tuis desponsabit Superos

Amicum Superis Sidus.

Imò ipsa effinget Solem

D

In

In auge Honoris constituta.
Nec cum aureis Timothei retibus commune,
Quibus Fortunæ capta vehiculo, Honorum ve-
neris Palatia,

Sufficit pro Fortunæ rota, Lunæ Tuæ circulus,
Ne volubilis sit,

Dimidius,

Quo in Domum Tuam Honores invehas.
Omnis honos, cuncti venient ad limina fasces
Hic dignitatis Clavus sufficit ad Laticlavium

Quo vel ut clavis Fortunæ rotas figas,
Uel ut clavibus Honorum adyta referes.

Accepisti ad hæc Honoris insignia à cunis suf-
fragium, ipsiq; fascijs innexos fasces reperisti;
quos tantisper Fortuna distulit, ne infantiam di-
gnitatum mole oneraret; concederesquè Honori
spatia, quibus cresceret, quoad in parem tanto
Numini proceritatem assurgeret. Principum hoc
utiquè privilegium est, eodem partu in communem
& publicam prodire lucem, ipsoquè naturæ instin-
ctu primos passus, priusquàm terram attigerint,
Honoris tramiti consecrare. Erudiebat Te Lu-
cina Princeps, ut primo intuitu clavas, sceptras,
& purpuras salutare, quæ de Te in cunabulis
contendebant; ut jam vel inde conijceres, cui Te
Fortunæ Superi destinarent. Nimirum trabeas &
coronas cum sanguine in Te derivabas, quem
quantum suxisti à Majoribus, orbis clamat, KO-
RIBVTORUM Sanguine purpuratus. Vnus
enim es è Principibus, quos retroactis sæculis gen-
tis

tis liberæ capita adorârunt, cùm Senatum consilijs, hostiùm cædibus, orbem victorijs, solia implerent Majestate. Recole, Principum Maxime, sæculorum memoriam, excute Regnorum fastos & annales, dabuntq; ærates documentum, qua sis ab origine natus, quàmquè latè sangvinis Tui profluvia in Ærythræum exundarint, per quod ad famæ immortalitatem Navita gloriæ enatares. Hic Te ad sacrata **WISZNIOWIECIANO** Sangvini penetralia, gentis Tuæ invitant monumenta, e ductura in scenam hospiti Majorum Tuorum pompam, quam si à fatorum immunem umbris, etiam de tumulis spargere radios conspexeris, in Gentilitiam Cynthiam splendores reijce, cujus beneficio concolorem diei induunt apparatus, quamvis in mortalitatis noctem, communi fato, post vitæ occasum protruduntur. Prodit non imminutâ per cineres Majestate Sangvinis **WISZNIOWIECCIANI** origo, Primasq; Regnatricis Profapiæ **KORIBVTVS** tot Sceptris & Coronis onustus, quot Regum Pater ipse què Regnorum & Provinciarum Arbiter, tulit pariter, latusq; reliquit diademata. Cessit ille primùm è voto orbis in Ducem Severiæ, donec liberis vocibus, Regem suum Bohemia proclamasset, ut conterminis gentibus idem jura diceret, qui in Germano Fratre Jagellone, Sarmaticis Aquilis imperavit. Debetis huic Sangvini Polonæ æquè ac Vngariæ Majestates **VLADISLAUM, CASIMIRUM LVDOVICVM,**

CVM, ALEXANDRVM, SIGISMVN-
DVM coronata capita, quorum Purpuras, in Pa-
trui **KORIBVTI** Sangvine Lucina tinxit; ut
Regnorum solia, peregrinis antè adumbrata colo-
ribus, domestico in **Lechia**, vicino in **Vngaria**
murice adornaret. Veniunt per remota terrarum
spatia, propinquitatem Sangvinis testaturi, Ro-
mani Imperij Arbitri ac Hispaniarum Monar-
chæ invictissimi, quotquot ab **ERNESTO**
Archiduce **Austriæ**, Sceptra ac Regnorum For-
tunas moderantur, quos in **KORIBVTIÆ**
Gentis serie, aut Gentilitiorum Decorum affini-
tas, aut firmata inter **Augustas** Domos connu-
biorum fœdera concluderunt. Et hæc, Princeps
Celsissime, per tot Provincias & nomina, tot sæ-
culis cum Sangvine Tuo dispersæ Purpuræ in
Serenissimum **MICHAELEM REGEM**
Poloniæ, Patrum Tuum, pleno Lumine & inte-
grâ Majestate devolvuntur; cui, postquam tot
Diademata à Majoribus Suis meritorum Hæres
accepisset, ultima Fortunæ coronis debebatur,
ut Genti liberæ ab omni fastu & Regni ambitio-
ne alienus imperaret. Vidit in illo **Traianum**
Sarmatia, cùm procidenti purpuræ sinum, sceptris
dextram subtraheret, adeo in privata fortuna ob-
stinatus! submitit tandem diu quæsitum coronæ
verticem, ubi supplicem aspernari, superbum re-
puravit; Matriq; Patriæ honorem detulit Pater
factus, aliàs plus quàm **Novercam** afflictorus, si ni-
hil ultra filij nomen acceptâisset. Vixisses utinam,
Re-

Regum felicissime, Virtuti Tuæ pares annos, nec
Cælorum invidiæ, terris Te naganti paruiffes,
dediffes hoc orbi Lechico, quod in Te amiffum
dolet, pacem, tranquillitatem, fortunam: diu ta-
men vixiffi, qui Parentales lacrymas etiamnum
elicis in tributum, quasi fitires hæc pocula, tanto-
pere olim amore Patriæ inflammatus: Nempe

Quem fui raptum genuère Cives
Hic diu vixit.

Influis cum tanta propagine in Encomium,
Ducum Optime, Regum Genitor, Princeps in
filio coronate Hieremia, qui collecta in Te felici
compendio, quâ bello, quâ pace parta decora, in
unam sobolem transfudiffi, provifurus Patriæ co-
lumen, quod improbis temporibus nutantem Sar-
matix fortunam fuffentaret. Aptabant Te sce-
ptris merita, fed immaturo nimium fato, expe-
ctantibus ereptus folijs, infatigatum Regio Auro
caput, coronaturæ virtutem perennitati, citius
quàm marcefcibili in terra vittæ fubmiffi. Ni-
mirum impar effet Virtuti Tuæ vel Orbis ipfius
Diadema, qui omne mundi præmium, fola forti-
tudine fuperâffti, ut nihil Fortuna in terris poffet
promittere, quo non plura & maiora mereris. Sen-
fit Te Gradivum Lechix femel iterumque po-
pulata Moschovia, in qua quidquid flagitiorum
in Poloniam commiffiffet, Martio igne, velut pia-
cularibus flammis expiabas; ut vel ad hæc incen-
dia, gentis excoqueres cruditatem, obijceresquè
inter flammæ Barbarorum oculis, quàm grande
E crimem



203522

crimen fuerit iura gentium in fæderibus violare.
Sensere Vkrainæ Campeſtria, confinia Tauricæ,
in quibus mille Trophæa erexiſti, quæ Te facun-
dius Tullio, quia geſtis non vocibus, poſthumis
Heroibus prædicabunt. Nec Te prætereo
CONSTANTINE KORIBVT, Ducum
Celiſſime; proximus es fraternitatis titulo **MI-
CHAELIS** Maieſtati, proximus meritis Hie-
remiæ Nepos, qui ſuperſtitem utriuſq; gloriam,
in Te ab interitu protexiſti. Egisti digna Tuis
Majoribus, nec ita Proavorum gloriam in factis o-
ſtentabas, ut nihil ipſe dignum annalibus molire-
ris. Conſecraſti Bellonæ dextram novennis An-
nibal, ſimulquè in hoſtes Patriæ, cum Heroo pe-
ctore conjuraſti, ſanguine extincturus calorem,
quo Te Patriæ zelus contra Barbarorum Cynthi-
am imbuebat. Horret animus recensere ardores,
in quos manum miſiſti Scævola; adire præcipitia,
in quæ caput Curtius proieciſti. Ingemiſcet Le-
chiæ Mars, quoties Tua discrimina memorabit.

Et quæ Te leges præceptaq; fortia Belli

Statius.

Erudijt genitrix, nimium didiciſſe queretur.

Ferebas inter tot pericula laureas, Patrum de-
meſſas acinace, & ſimul porrectam Tibi herbam,
in victricia necebas ſerta, quibus contra Gradivi
fulmina, felicius, quàm inter fulgura Nero, pro-
iectum in mortes caput tutareris. Numerâſti tri-
umphos in Zbaraž cùm obſidionalibus vallatus
armis pertinaci patientiâ, ærumnas famis oppu-
gnabas: fuiſti victoriarum pars maxima in campis

Bere-

Bereſtecciz, in quibus Tauricam in Chano, V-
krainam in Chmielniccio proſtigares. Domuiſti
deniquè in Svetico Leone monſtra, Polone Her-
cules, in quo ubi toties victoriæ favum inveniſti,
ipſa Tibi pro Patria vulnera dulceſcebant, quæ
in ſolo Bucephalo fauciato tuliſti Alexander.
Non enim ipſe poteras experiri adverſam bello-
rum aleam, qui Gentilitijs armatus Crucibus, tri-
umphali Constantini teſſerâ, in hoſtes Patriæ ir-
ruebas. Didicit à Te, Constantine, ipſa Fortu-
na constantiam, ubique Te conſtanter comitata,
cùm repudiari à Te metueret, ſi aliquam in vago
Numine notares levitatem. Nimirum tamdiu
ipſi Fortunæ inconstantem eſſe licuit, quamdiu
mutationi Luna ſubiacebat, à qua hucusq̃, huma-
næ ſortes traxère ſymbolum. Aſt ubi Cynthia
Veſtra inter viciffitudines orbis immutata ſuam
probavit conſtantiam; etiam Fortuna reſipuit, hoc
ſolo retento privilegio, ut ſecurè mutari poſſet,
quoties à proſperæ nomine defeciffet. Accede
jam ad Magni Genitoris ſimulacrum, IANVSI
Princeps Inclyte, Te ipſum in Patre cogniturus.
Procul à Te imbelles lacrymæ, quas ad delubrum
Macedonis, inanes gloriæ fumi è pupilla Julio
Cæſari expreſſerunt, quòd nunquam egiffet Ale-
xandrum; & quâ ætate Regnorum prædo orbem
terruiſt, ille vix vidit in orbe quod terreret. Tu
enim, Princeps Celiſſime, ubi Patris ſcrutaris glo-
riam, Tuam eſſe cognoſcis, & petito à genere
probas argumento, Princeps in ſimilitudinem na-
E2 turæ

turæ Principum propagari. Verùm recede tantis-
per ab oculis, & priusquàm omnium in Te con-
vertas lumina, reliqua **KORIBVTEÆ** Do-
mûs Numina contemplare. Ducit Te Celsissi-
mus Genitor Tuus ad tiarati sanguinis Augusta-
lia, monstraturus digito, quæ per oculos transferas
in animum dignæ Principe Virtutis lineamenta.
Intuere Fedorium **WISZNIOWIECKI** Du-
cem in Nieświez, quem Podoliæ ac Wołhinæ
Pergama Winnitia & Zbaraz, primum, etiam in-
ter Verustatis rudera, turrato vertice adorant Cõ-
ditorem. Venerare **DEMETRIVM**, cui (ni-
si majori elogio stylum gloria anteverterit) Le-
chici Encomiastæ inscribe Panegyrim: *Hic est*
DEMETRIVS, maximus Reip: Tutor, & hosti-
um illius perpetuus hostis, quo nomen eternum &
gloriosam laudem, sibi ac suis comparavit. Verus
Successor Predecessorum & Zelantissimus Senator.
Noverunt fortitudinem illius Moschus, Scythæ,
Valachus, Turca, ac rebelles Cosaci, quorum forti-
tudinem, audaciam, terruit, repressit. Succedite
magnis Luminaribus Illustres Umbræ **DANI-**
EL, CONSTANTINE, GEORGI,
MICHAEL, ADAME, WISZNIO-
WIECCII, Palatini, Castellani, Duces, Circa-
siorum Præfecti, terrarum Iudices, Orbisque Po-
loni Phœnomena, quorum vitam sanguine redi-
meret Lechia, nisi reditum negaret immortalitas,
quæ gemmas Principum, æternitatis includit an-
nulo, cui quidquid inseritur, perennitati despon-
fatur.

fatur. Succedite cognata Lunæ sydera, quæ in
ZBARASCIIS, KORECCIIS, RADIVILIIS, CZARTORISCIIS, CZETWERTENSCIIS refracto ad posteritatem radio illuxistis: in TISKIEWICIIS, NARVSZEWICIIS, CHODKIEWICIIS, ZAMOSCIIS, DANIŁOWICIIS cum Planetarum Principe splendoribus decertatis. Adeste SAPIEHARVM, KONIECPOLSCIORVM, FICLEIORVM, SZEMETORVM, KRASICCIORVM, TARŁORVM, MNISZKORVM, nec cinerum, nec Fortunæ umbris ecclipsata Lumina, implete Regiæ stirpis atrium, quod aut orbis est, aut quidpiam orbe maius. Implete oculos animosq; spectantium, donec cum exemplis, & meritis in sortem vivorum transeatis.

Agnoscisne Tuos Princeps Venerande Penates? Claudius in Honorio.
Hæc sunt quæ primis olim miratus ab annis,
Patre pio monstrante petis

Hæc sunt domestica KORIBVTORVM Numina, quæ Tibi Hospiti assurgunt, & ad mortuales usq; cineres demisso capite, posthumam Principum Majestatem venerantur. Tu interim IANVSI Princeps Celsissime, ingentes Animas, terrarum decora, sæculorum Atlantes, eadem pupillâ, quâ solem, intuere; ereptosq; populorum aspectibus, non ita accidisse autuma, quin lucidiores in Te renascantur. Ille enim Princeps es, qui illustres Majorum imagines, novis in Te
F adum-

adumbras coloribus, Apelle Virtute tot Martias
Herouū Facies in Tuum unius vultum transferen-
te. Debes Majoribus Tuis mortalem auram, de-
bent illi Tibi immortalitatem, quorum gloriam
à fatorum exuvijs, Heroum vindex extraxisti.
Temporis hæc culpa, non virtutis est, quod po-
stremus Tuorum lucem videas, totq; ante Te nu-
meres, quorum virtutem imiteris. Novissent Te
utinam elapsa sæcula, paria virtutis documenta in-
cedros transtulissent, quæ Primores Tui disce-
rent, si post Te in gloriam nascerentur. Ille es,
qui à vitæ & honorum primordijs dedisti omina,
quæ spes publicas erigerent, & tacitè, quæ solus
implere potes, promulgarent. Quis in Te bello
à natura formatam indolem non agnoscat? cui pro-
deunti in auras, Martis diem Lucina consecravit;
ut simul in vitam & arenam educeret, in ipsisque
fascijs militiam esse vitam hominis erudiret. Quis
Gentilitio Luminari Honorum Augem non pro-
mittat? cui sublime dignitatum ascendenti iter,
Increati Solis lumina præluxère; ne hoc traduce
ab alto gloriæ tramite deviaret. Continebas Te
intra modestiam Princeps, & arduum dignitatum
callem differebas, quoad ascendenti Christi ve-
stigia observares, quibus quisquis institit, unico
passu, difficile gloriæ iter superavit. Ille denique
es Princeps Gloriosissime, qui Regalem Genito-
ris stirpem, non imparibus in Te Maternæ Do-
mus Ceris cumulasti, novaq; ad Cynthiam Syde-
ra, Augusti Sangvinis derivatione protraxisti.
Tuæ

Tuæ enim Fortunæ propitia Superùm decreta laborabant, ut non in KORIBVTIANO tantum, verum etiam CHODOROWSCIANO Sangvine Purpuram tingeres, ne vel unâ lineâ ab auitis Principum decoribus deflecteres. Defluunt in Te cum Illustrissimæ Genitricis Sangvine, Ducum OSTROWSCIORVM, ZASLAWSCIORVM insignia, quibus proximæ IABLONOWSCIORVM, OPALINSCIORVN, OSTROGORVM, TENCZINSCIORVM, KALINOWSCIORVM, CZARNKOWSCIORVM, WYCZGARVM, LESZCZYNIORVM, POTOCIORVM, KRASINSCIORVM, Cælis conterminæ stirpes, à Fortunæ & honorum splendoribus Illustrissimæ, æterno Sangvinis nexu sociantur, *Lunamq; suam sua sidera noscunt.* Dubitasne adhuc Princeps Celsissime Tuum esse, quidquid magnum hæcenus Sarmatia coluit, aut à Tua Stirpe alienum, quidquid dabunt ætates, ad WISZNIOWIECCIORVM ideam, maximos regnis Principes formaturæ? dubitares utique, si quantus sis, non perpenderes, Maiorumque Tuorum gloriam tam facile ab imitatione, quam citò ab oculis & memoria amoveres. Iam KORIBVTO-RVM præco immortalis gloria, & quæ audisti orbi prædica. Imitetur quod poterit, quæ supra se viderit admiretur.

Reclude vel ipsi Cœlo **WISZNIOWIECCI.**

ANÆ Familiæ ædes,

Principum ostiaria:

Quas **Domum Purpuram** dixerim,

Nam **Aviti Sangvinis**,

Fortunæ splendorē, Regumq; Sceptra si exposcas,

Hic hospitantur Principum Mitræ, Clavæ du-
cum, **Regum Purpuræ.**

Fasces cæteris Fortuna nectat in fascijs,

Quibus infascinet animos:

In cunis coronas fabricet,

Hæ rotantur in ima, & in punctum desinunt.

In aliorum Stirpibus flos honorum virescat,

Donec emarceat.

In fontibus Regia diffluant flumina,

Donec effluant.

WISZNIOWIECCIANI Sangvinis Domus

Purpura,

Secura est gloriæ,

Cuius Domestica Fortuna est, Hospes alibi.

Dimidio Lunæ circulo huc invec̃ta,

Ne hâc in orbem rotatâ facile divertat.

In hac Fortunæ Domo quisquis oritur,

Sub ipsa aurora, adultum Gloriæ diem invenit,

Aut facit.

Dispone in palatijs Roma spectandas **Nepotibus**

Avorum imagines,

Quibus præter Majores nihil magnum,

Nihil Avorum umbris illustrius,

Hic Majores ne quæras,

In

In Fortuna **WISZNIOWIECCIORVM**
maxima,

Non nisi Maximos reperies.

Inter Proceres procerior huius Domûs apex,

Quantùm præcedit clara minores

Luna faſces, quātūmq̄ue alios premit Hesperus ignes

Eminet in folio cognatum regno Nomen

MICHAEL.

Iuſſit hunc beatis

Pro ſe Iupiter imperare terris

Quo non dignior has ſubit habenas.

Nemo vertice Superior eſt, nec Rege Regnorum
capite.

Niſi quòd **HIEREMIA WISZNIO-**
WIECCIO Patre

Inferior ſit **MICHAEL** Pater Patriæ.

Nam ille in Majoribus Cæſar, Rex in filio

In omnibus Princeps.

I nunc inſcribe faſtis Divine Plato,

Agrigentinos faſtigia evehere, quaſi victuros æter-
nitati.

WISZNIOWIECCIANA Domus Cœlis
invehitur.

Cui in atria Gloriæ, tranſivère Aſtra.

Novum Regnis Neronis Cœlū accēdat zodiacū,

In Polo Poloniæ **WISZNIOWIECCIANÆ**

Lunæ Domus Zodiacus eſt.

Quâ' fulgurantem Cynthius currum rotat,

Conſpicio molem luce radiatam Poli.

In qua nullum faciliùs occurrit ſignum,

G

Quàm

Statius
lib. 2.
ſylv.

Statius
l. 4. ſyl.

Quam cordati Leones, aut æquitatis bilances,
Ecclypsim in hac Domo Lunæ ne metuas,
 Multus ubique dies,
 Piam lux alta Domum, præcelsaque toto
 Intravit Fortuna gradu.
Hic Regiæ collucent serenitates,
Ad quarum lucem magnorum luminarium caligant
 fulgores.
 Numera stellas si potes.
 Cingitur Astris
Luna & in Oceanum rivi cecidere minores.
 Alicorum siderum lux desinit in umbras
 Ad vitæ occasum,
 At non lunæ,
Quæ inter ipsas noctis umbras serenum diem agit.
Accessit huic Illustri Lunæ Domui nova à Te
 serenitas,
 Illustre Patriæ Sidus,
Quod Cœlo Sarmatiæ admovit propius nova di-
 gnitas.
Si bonis optimi, Illustribus succedunt Illustrissimi,
 Quid Illustrissimis?
Dabis incrementa lucis Illustrissimæ Domui;
 Decrescendi vicissitudines non vereor
Nescit inconstantiam **CONSTANTINO**
 genitus.
Lucē luci addes in altiore Honoris elevatione.
Impera iam Cynthia Sideribus in Tuo cœlo fixis.
 Legesq; Vrbesq; Togate,
 Tua longinquis implorant iura querelis.

Non hæc tamen Suprema est, Majestas Prin-
cipum, Honoris & Sangvinis arctari adytis, nec
habere ultra quod incolant, si extra Fortunæ orbi-
tam hospitentur. Desinunt in ergastula augustæ
Honorum Regiæ; ruunt purpurata Profapiarum
pegmata, si procul à virtutum sacrario, fundato in
Avorum cineribus culmine glorientur. Erube-
scit ad sangvinis purpuram Majorum Gloriæ in-
quilius, si nihil Domi rubeat præter sangvinem.
Tui est complementum Nominis Principum glo-
riosissime, quòd totum Te Patriæ ceræ capere ne-
queant, sed maximam Tui partem, pietatis ven-
dicent Augustalia. Hæreditasti virtutum Atria
in vitæ aditu, cum infans probitatem prælibares,
quam plusquam adultam cum tenero lacte ab Au-
gusta Genitrice, exfluxisti. Didicisti nimirum à
natura:

 Posse fieri Principem & nasci.

Primum Virtutis beneficium est, Fortunæ alterū.
Binas simul purpuras induisti, ut ad magna incale-
sceres.

Cum Principes etiam, terrarum soles, in una tor-
pescant.

 Coronasti mitras meritis,

 Ex utroq; Princeps.

Non licuit Romanis Honoris adire sacraria,

 Nisi per arduas Virtutis ædes eluctatis,

 Non licuit Tibi,

 Benè gnaro.

Periculosam esse magnitudinem,

Ad quam arduâ Virtutis non itur semitâ.
Strue Simandi immortalitatis domos virtutibus
Ipse mortalis!

Religioni, Sapientiæ, Modestix,
Dignam in se immortalitatis domum exhibet
Princeps **WISZNIOWIECCIVS**,
*Cuius placido posuere in pectore sedem
Blandus honos hilarisq; (tamen cū pondere) virtus.*
KORIBVTEÆ Domus sola virtus fastigiū est,
Sacratas probitati ædes à Cruce nosce,
Pietatis tessera,
Hic illa Hæreditariam fixit sedem,
WISZNIOWIECCIANÆ Lunæ cornibus
innixa.

In Numæ aula Pietatem quærant fasti,
In **WISZNIOWIECCIANA** Domo ultro
se prodit,

Quæ nunquam cultior est, quàm **DEI** cultu.
Deserta sunt Magnatum Aulæ,
Rarò tamen ad illas exul Pietas proscribitur
Quòd nihil ex homine alant præter animal:
Ex hac Regia nunquam proscripta leges præscri-
pta pietatis.

Tu enim Princeps,
Auitæ Lunæ fulgores virtutis ignibus Cœlo ere-
pris illustrasti.

Quanquam horum dives Luna est sub suo concavo.
Crevisti cum Pietate, Tecum Pietas.
Nigro calculo notas dies, quos candor probitatis
non serenat.

Qua-

Quasi malè ominosi essent, quibus hæc non prælu-
xit Aurora.

Ita Virtutum Incola

Dubium facis,

Tuné Pietati, an illa menti Tuæ inhabitet.

Excedit animum;

Quod dum Te Genere Principem esse nôris,
Demissione exhibeas Civem.

Et dum Te Fortuna ad Superos evehit,
Virtus deprimat infra homines.

In aliorum fastigijs culmen fastus occupat,
In Tuis Demissio.

Nescio an ab Amico nocti Sidere latere didiceris,
Sereno honoris die:

Incurristi tamen in Solem, quem fulgere videbaris.

Latentem inter Demissionis umbras virtutem,

Ad Lunæ radios comprehendimus

Quam in publicam lucem educit honor.

Etiam Intellectus in Te suam virtutem sapit
Scientiam.

Nimirum bene conveniunt mitræ capiti tali habi-
tu exornato.

Detestaris frontes, in quibus fasciæ Ducum, ligāt
infaniam.

Hæc digna est Tiara Principe, quæ laureas strīgit,
Quas in capite plantat eruditio.

Nunquam Tibi Avita Luna illustrius luxit,
Quàm ad Cleantis lucernas.

Nam Princeps sine sapientia, sol sine radio est.

Ultra Principum naturam,

Parnassi Lucos, Hortensij hortos es pervagatus,
Quòd nôsses

Ex his viridarijs florem doctrinæ colligi, in messē
Gloriæ.

Severiores scientias placidè in animum admifisti;
Vel, ut ad concentum Virtutis organum pullare
Aristotelis,

Vel, ut ad caliginem Logicam, Lunæ Tuæ proba-
res lucem,

vel, ut per Ianuam scientiarum

Honoris ingredereris Capitolium.

Hoc demùm, Princeps Celsissime, inter nego-
tiosa Literarum Tuarum otia pretiosum est, quod
totius pænè antiquitatis Historias sub aspectum
posueris, orbisq; vastitatem in paginis perlustraris.
Vidisti in Curtijs Alexandros, Cæsares in Sveto-
nio, omniumq; Heroum monumenta in Literis
adiisti, ut legendo agere disceres, quæ, posteris di-
scenda legerentur. Providisti itaq; Princps Cel-
sissime, ut virtus in Te cum Sceptris coleretur, &
quam Sicilia adoravit in Platone, in Te populo-
rum capite miraremur sapientiam. Sapient sub Te
felicitatem suam Fortuna Polestia, in qua Philo-
sophi regnant, & Reges non extra formam bono-
rum Principum Philosophantur. Discent fortuna-
ta tanto Principe Athenæa, quòd Te discipulum
exceperint, qui orbem olim erudies; discent Pe-
ripathetica limina, quibus eâdem planta vestigi-
um, quâ honorum fastigia calcas, impressisti. Pro-
moveret gradum prompta in laudes Tuas oratio,
in illa mitiorum artium Lycæa, in quibus omnem
eruditionis florem Attica apis degustâsti, nisi eam,
publica de Te & votis permixta omina, è Palla-
dis arena, iterum ad Palatium honoris revocaret.

Audies hîc, Princeps Celsissime, quid de Te Pa-
tria? quid Ecclesia? quid minima Societas IESV
magnum sentiat; quid honoribus, quid Tibi hono-
rum decori ominetur. Ac imprimis

Applaudit Sarmatia,

Cui ad primam Honoris lucem
Illustre effulsit novilunium, à Luna Tua;

E quo sibi felicitatis

Tibi gloriæ plenilunium ominatur & vovet.

Imò

Serenum Tibi diem ab hoc spondet sidere,
Ad cuius fulgores extinctâ Lunâ othomanicâ
Solem accendet.

Prævit ad triumphos Alexandro M. Philippus
in Filio major,

Nerva Traiano ad Honores;

Alios ad grâdia facinora Avûcul9 excitet Hector:

Tu è voto Patriæ

Tot Avorum derives gloriam,

A quot magnum derivâsti sanguinem.

Sparia per maiores Honorum fragmenta

In Te uno centro gloriæ colligantur.

Et luci à Maioribus cōmunicatæ incremēta addas,

Sine decrescendi vicissitudine.

Vt quem hausisti fulgorem,

In posterum refundas sanguinem.

Etiâ Romanæ bene spondet Ecclesiæ Crux Tua

Optima Religionis tessera.

Iam subditorum Princeps audi vota.

Inscribunt tot Tibi ætates aureas,

Quot ferreas depuleris calamitates.

Suis avent demere annis tempora,
Quæ Tuis addant.

Nam amati à Te, amant;
Qui tunc maximè egisti Dominum,
Cum indueres Amicum.
Capitaneatum invecus es ut Princeps,
Ut Pater regis.

In omniū Tu unus corde, in Tuo habitant omnes
Vnâ pariter victuri vitâ.

Affurgit quoq; in maxima vota, minima Societas,
Vel à Te acceptura magnitudinem.

Maiora tamen cordibus inscribit, quàm paginis,
Quas candor superat Animorum.

Absit aliena à Numinis Religione Ægyptiorum
in Principes pietas,

Quorum vitam mortibus fovebant;
Cum mutuâ cæde morerentur pro vita Principum;
His tamen vulneribus Principes in se necabant,

Qui subditorum vivunt vitâ.
Nos pro Te Princeps mori detrectamus,
Ut in animis nostris vivas.

Et vivere metuimus, ne ingrati Tibi vivamus.
Tua sunt merita affectus nostri,
Quos cum cordibus felicior Gallicano Hercule
Tibi devinxisti.

Pro gratijs gratiarum flore, Gratosum nomen Tu-
um coronamus:

Superum quoque gratias in nostra trahentes vota:

Dent Tibi atatem Superi, quam mereris.

Servent animum, quem dederunt.

Plinius.

